



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De corpore vitatis, bigamis, inuitis non ordinandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet praesbyter, tam secularis, quam cuiusvis ordinis regularis, ad Christi fidelium confessiones audiendas per loci ordinarium approbatus, plenam & liberam in foro conscientiae tantum, absoluendi habeat facultatem eandem prorsus, quam idem Six. praedecessor sibi ac suis successoribus reseruauit. Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium, in praedicta constitutione contentas, Constitutionem praefatam in ea parte ubi de his agit ad terminos iuris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilij Trid. dispositionem auctoritate Apostolica tenore praesentium, tam quo ad praeterita, quam quo ad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in huiusmodi parte nunquam emanasset. Non obsta-

tibus eadem praedecessoris nostri constitutione, qua quoad reliqua omnia, praeter contenta in hac nostra constitutione, in suo robore omnino permanere volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis Notarii publici manu subscriptis & sigillo Praelati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio, & extra illud, quae eisdem originalibus haberetur exhibitis, vel ostensis. Nulli ergo. &c. Datum Roma in monte Quirin. Anno Incarnat. Dominic. 1591. prid. Kalen. Iun. Pontif. anno primo.

Vnde notandum relatum Const. Sixti V. circa foetus animati abortum, moderatam esse quoad absolutionem peccati & excommunicationis; quoad reliqua vero ibidem expressa, ut inhabilitatem, priuationem, degradationem, poenas in Concil. Trid. contra homicidas voluntarios decretas, remanere in suo vigore. Quoad abortum autem foetus inanimis in toto esse reductum ad terminos iuris communis.

ARTICVLVS VI.

De Corpore vitiatis, Bigamis, Inuitis non ordinandis.

- 1 Corpore vitiatus quis dicatur.
- 2 Oculorum defectus qui impediunt ordines,
- 3 Auditum seu aliorum membrorum officio carens quando non ordinandus.
- 4 Deformitas corporis quae impediunt ordines.
- 5 Bigamus ordinari non potest.
- 6 Bigamia triplex.
- 7 Inuitus quis an possit ordinari.
- 8 Beneficiatus cogit potest ad suscipiendum ordines suo beneficio competentes.

Corpore vitiati ordinari non debent, prout lege quoque diuina cautum fuit ne deformati seu vitiati corpore altari seruiant. *Leuit. c. 21.* quia nimirum tales vel Diuinis tractandis sunt inhabiles vel malitiam naturæ & animi deformitatem præferunt, quam plerumque informis dispositio corporis designat. *Abb. in c. quia diuersitate. 1. not. de concess. præb. Menoch. de arbitr. iud. cas. 226. in princ. Tiraq. de leg. connub. l. 2. à nu. 47.* Tales autem sunt qui toto corpore vel aliqua eius parte ita sunt affecti vt commodè celebrare non possint, vel notabilem deformitatem præferant. Sed quia hæc descriptio non ita latè patet vt omnia sic vitiatorum genera comprehendat, quin imò vix tradi potest, neq; ab authoribus affertur, ideo potius exempla corpore vitiatorum ab ordinibus arcendorum in iure expressa, quo facilius hæc prohibitio innotescat, adferamus.

Vnde primò cæcus promoueri non potest. *cap. hinc etenim. 49. dist. Monoculus etiam seu vno oculo videns, altero cæcus, non ordinatur. cap. si euangelica. 55. dist. Et quidè si oculus sit erutus, cū hoc casu vltra cæcitate adfit deformitas, difficulter dispensatur: si autem sit solum cæcitas talis, vt oculus nihilominus integer, nec deformis appareat, isq; sit oculus dexter, dummodo sinistro sufficienter videatur, nullam causat irregularitatem, nec impedit promotionem ad ordines. *Nau. cit. cap. 27. num. 199. in man. Angel. v. corpore vitiati. num. 2.* sed si fuerit cœcitas in oculo sinistro, licet non apparet deformitas, inducet tamen impedimentum ad ordines, nam iste vocatur oculus Canonis, cum sine ipso non possit legi Canō sine indecora ad populum conuersione. *Nau. lo. cit.**

Eadem ratione habens in oculo albuginem, prohibetur ordinari. *o. hinc etenim. 94. dist. secus de habente maculam in oculo quæ non fit aded deformis.*

De lippis autè & habentibus lachrymantes assidue oculos, dicendū est quod si inde non sequatur notabilis deformitas, ordinari possunt. *Vinald. lo. cit. de irreg. num. 143.*

Auditus etiam sensu carens promoueri non debet, qui tamen in vna tantum auricula hunc defectum pateretur, vel non omnino esset furdus, non teneretur hac prohibitione. *Matol. de irreg. lib. 1. c. 25.*

Auriculam seu cartilagine[m] supereminentem qui amisit, si hoc inducat notabilem deformitatem, promoueri quoque non debet: tanto magis si hoc fuerit passus ex opere illicito, vel pro delicto. *Angel. Vinald. locis cit.*

Mutus item seu qui officio linguæ caret, vel aded impeditam habet pronunciationem, vt vix intelligi possit, nō promouetur. Similiter & claudus enormiter, ita vt sine scipione ad altare accedere non possit, non promouetur. *Sum. Tabien. in verb. corpore vitiati. Syluest. eod. secus si claudicet aliquantum, ita vt sine adminiculo incedere possit, & si nō ex opere illicito defectum huiusmodi contraxit. c. si quis. iun. gl. 55. dist.*

Manu carens vel digito necessario ad fractionem Eucharistiæ, non promouetur. *cap. exposuisti. de corp. vii. cap. presbyterum. de cler. agr.* Parte tamen digiti carens, vel vnguem ab ipso auulsum habens, dummodo cōmodè frangere possit Eucharistiam, licite promouetur. *cap. 1. & fin. lo. cit. de corp. vii.*

Manus habens tremulas vel chiragram, si iste tremor vel chiragra esset perpetua, non posset promoueri, & promotus non posset celebrare. *Matol. lo.*

cit. de irreg. lib. 2. cap. 21. & 24.

Habens aliquam in corpore deformitatem, quæ scandalum vel horrorem seu nauseam aspicientibus generaret, non promouetur, ut gibbosus, dentes habens nimium prominentes, vel digitos plures, seu compactos, ita, ut non sine periculo in fractione celebraret: partes tamen superfluas, ut digitos plures rescicare posset arte medica, & sic promoueri. *gl. inc. qui partem. cit. dist. 55.*

Nasum truncam vel deformiter tortum habens, vel labiorum graui deformitate laborans, vel enormibus cicatricibus, seu maculis in facie signatus, similiter non promouetur. *Viuald. de irreg. nu. 147.*

Hic ponendi sunt, qui aliqua alia infirmitate corporis perpetua laborant, ut Apoplectici. *Maiol. lo. cit. cap. 24. sub. num. 2. & Paralycici cap. fin. de cler. agr. D. Th. 3. p. q. 82. art. fin. Tabien. verb. corpore vit.* Et qui morbum Epilepticum seu caducum patiuntur, tales enim prohibentur quoque ordinari. *cap. communiter. 33. dist. Archid. ib. vnde nec beneficia Ecclesiastica obtinere possunt, & collatio talibus facta, est nulla ipso iure. cap. cum inter canonicos. de elect. Host. Abb. ib. Ioan. de Sylu. in tract. de benef. 3. p. q. 5.* Non inducere tamen ipso iure inhabilitatem ad obtinenda simplicia beneficia morbum caducum, tenuit *Rot. die 4. & 9. Nouemb. 1551. coram Vestano in vna Toletan. Canonatus referente Caputaq. decis. 236. p. 2. quem etiam allegat Paris. de resig. lib. 5. c. 6. num. 107. Aemil. Veral. decis. 238. p. 2.*

Prohibentur item ordinari maleficiati, præsertim si quis maleficium patitur in toto corpore; secus enim esset de patiente maleficium in aliqua corporis parte quæ non impediret actiones corporis debitas. *Viuald. loc.*

sup. cit. de irreg. num. 136.

Lunaticum quoque non posse promoueri, & promotum non posse ministrare tenet *Maiol. loc. cit. de irreg. lib. 2. cap. 15.*

Similiter ænergumeni seu à dæmone obsessi non ordinantur. *c. cum in litteris. 7. quest. 2. nisi ad minus ab vno anno vexari desierint. c. communiter. 33. dist. Archid. ib. & tum adhuc ad maiores ordines promoueri non possent, nisi fortè ad minores. Nau. cons. 35. de temp. ord. in. no. Qui etiam simulant se dæmoniacos, eadem poena puniendi sunt, ut non promoueantur. *Viuald. loc. sup. cit. nu. 187.**

Similiter & deliri, phrenetici, nisi à multo tēpore hoc morbo laborare desierint, non ordinantur. *c. quamuis 7. q. 1.*

Leprosi quoque non ordinantur, tales enim etiam à coetu hominum segregandos voluit vetus testamentum, ut *Num. 12. Leuit. 14. Deuter. 24. cap. Et si promotus contraheret lepram, deberet remoueri ab administratione. cap. tua nos. de Cler. agr. Sum. Tabien. v. corpore. vel deberet priuari cum assignatione alicuius portionis fructuum beneficij pro sustentatione. S. Th. 3. p. quest. 82. artic. vlt. Maiol. loc. sup. cit. de irreg. lib. 2. cap. 18.*

Scabiem enormem perpetuo habentes non ordinantur. *c. hinc etenim. 49. dist. ut si fuerit scabies grauis, quæ à phisicis vocatur herculea, quæ est affinis lepræ. S. Th. 4. sent. dist. 9. art. 4. Maiol. loc. cit. vel si quis patiat morbum gallicum, donec fuerit sanatus non deberet ordinari. præsertim si appareant vlcera extrinsecus quæ faciunt deformitatem. *Maiol. lo. cit. cap. 19. in talibus enim ultra turpitudinem ex delicto manantem, adest etiam periculum contagionis, propter quod etiam vxor viro & è con-**

tra non teneretur cohabitare. *S. Th. lo. cit. dist. 36. art. 1. sum. Tabien. verb. matrimonium. 3. num. 6.*

Inter viciatos corpore non immeritò ponendi quoque sunt, qui vinum sine mansea bibere non possunt, tales enim non esse ordinandos propter periculum in celebratione tenet *Nau. in man. cap. 27. num. 204.* Idem dicendum in omnibus alijs vicijs corporis perpetuis, in quibus militaret similis ratio inhabilitatis ad exequenda munia ordinum susceptorum, nisi fortè vitium tale fuerit, quod impediret administrationē vnius alicuius muneris, non verò omnium. *Parif. de resig. lib. 5. q. 6. num. 30.*

Et circa istam materiam generaliter obseruari debet. Primo irregularitatem huius generis non sequi ex imbecillitate vel defectu membri, sed ex deformitate vel impotentia ad celebrandum, tū & ex culpa ex qua oritur defectus: vnde abscisus à medicis, ab hostibus, vel à parentibus puer, vel ita natus, seu alio mēbro carens aut deformitatem habens, quæ extrinsecus non apparet, non prohibetur promoueri; secus autem si ex opere illicito fuisset abscisus, nam tunc nō ordinaretur. Secundò vitia corporis impediencia ordines, melius ex re oculis subiecta dijudicari, quam scripto exprimi posse, vt notat *gl. in cap. presbyterum. v. deformitatem. de Cler. agr.* vnde semper hic defectus pendebit ex iudicio ordinatoris. *cap. communiter. 33. dist. cap. 1. de corp. vitiat. ibique Innoc. Ang. v. corp. viciat. num. 5. Gemin. in c. 1. de dol. & cont. in 6. Guid. Pap. quest. 64.* Tertio & vltimò obseruandum vitium corporis impediens ordines aliter considerandum esse si accidat iam ordinato ad aliquem ordinem, aliter verò in illo qui nunquam fuit ordinatus. Ordinandus enim si defectum huiusmodi

patiat, omnino est repellendus ab ordinibus; Ordinatus autem licet efficiatur inhabilis vitio aliquo corporis ad celebrationem vel similia, poterit tamē alia officia exercere, vt prædicare, confessiones audire, ministrare, vel quid simile facere, & ita promoueri ad altiores ordines, vel saltem tolerari, & exercere aliquam functionem clericalem in ordinibus susceptis. *Innoc. in cap. ad audientiam. de homicid. Host. in sum. de corpore vit. num. 3. Angel. lo. cit. num. 4. Nau. in man. lo. sup. cit. num. 200.* vt legimus plures cæcos insignes viros excelluisse doctrina & dono in prædicatio verbo Diuino, nimirum Venerabilem Bedam, & Dydimum Alexandrinum, de quo *Cassiodo. trip. hist. lib. 8. cap. 8. Hieron. in Cathal. scrip. Eccl. & Surius in sua Hist.* scribit de Roberto Scoto à puerili ætate cæco, insigni Theologo & postmodum Archiep. Armacan. in Hibernia, quem etiam perfunctum refert legatione solemnī pro Iul. III.

Bigami quoque prohibentur ordinari. *cap. 1. & 2. de Big. non ord.* in tantum autem hæc prohibitio extenditur, vt etiam si quis ante baptismum contraxerit bigamiam, seu vnā vxorem habuerit ante baptismum, alteram post baptismum, tamē ligabitur hac prohibitione: bigamiæ enim impedimentum non tollitur per baptismum. *cap. acutus. un. gl. 26. dist. Host. in sum. lo. cit. num. 5. & 6.* vbi multas rationes colligit, propter quas bigami non ordinantur.

Triplex autem est bigamia *gl. in cap. 2. de Bigam. non ord.* Vera cum quis duas vxores veras, alteram nimirum mortua prima habuit & cognouit. *cap. si quis. 33. dist. nec sufficit quod contrahat, sed etiam quod consumet matrimonium: multominus sufficerent sola sponsalia, etiam cum pluribus hæc enim nullam indu-*

Inducunt bigamiam. *Arm. v. bigamia. num. 2. Nau. lo. sup. cit. num. 195.*

Interpretatiua bigamia dicitur, cum quis contrahit cum vna vidua. *cap. matrimonium. cit. 33. dist.* nimirum corrupta per alium, nam si fuerit desponsata tantum alteri, sed matrimonium ex aliqua causa non fuerit consummatum, nulla sequetur bigamia. Corruptam etiam vulgo se meretricem publicam ducens, vel uxorem propriam cognoscens, quam scit commississe adulterium, simili genere bigamiae ligatur, corruptam vero per se ipsum qui ducit, vel ipsemet siue ante matrimonium, siue stante matrimonio plures cognoscens, non efficitur bigamus. Scurrilem item seruam, seu publicam fabularum actricem ducens tanquam de bigamia huiusmodi suspectus, promoueri non debet. *cap. si quis viduam. 34. dist.*

Similitudinaria bigamia est, cum aliquis in sacris ordinibus constitutus, vel post votum solemne religionis, castitatis contrahit de facto, & consummat matrimonium. Et tum vltra bigamiam huius tertij generis quae ipso facto contrahitur. *cap. à nobis. de bigam. non ord. Ang. Arm. v. bigamia. Nau. lo. sup. cit.* etiam nullum est matrimonium. *cap. omnium. 32. dist. cap. 1. de Cler. coniug. & excommunicatio incurritur. Clem. vn. de consang. & affinit.*

Inuitus quoque nemo debet ordinari, & ordinans inuitum, suspenditur per annum ab officio suo. *cap. 1. 74. dist.* Distinguendum est autem de inuito. Nam aut non reclamauit voce vel signo, nec illi fuit adhibitus metus qui caderet in constantem, & tum praesumitur voluntarie fecisse, nec ordinator incurreret penam, ordinatusque ligabitur Sacramento Ordinis. *cap. si seruus. 54. dist.* Si vero reclamauit adhuc est distinguendum,

quod aut reclamanti adhibita fuit coactio, cum comminatione verborum, poenarum, quae dicerent metum cadentem in constantem, & tunc imprinteretur quidam character. *arg. tex. c. de Indeis. 45. dist.* nam licet conditionaliter consentiat, consentit tamen, coacta enim voluntas, voluntas est. *cap. merito. 15. q. 1. S. Th. 1. 2. q. 6. art. 6.* non tamen praedudicaret ordinato, quin possit reclamare, & liberari voto continentiae, nisi postmodum metu liberatus ratam habuerit ordinationem. *cap. perlatum. c. cum dilectus. de his quae vi metusq. c. veniens. de sponsal. Turrec. dist. 74. in princip. Gemm. ib. in cap. vbi ista. Sylu. v. ord. 4. num. 1. Cald. cons. 1. qui Cler. vel von. & licet hoc sit maxime controuersum apud Doctores, quinimodo contraria opinio videatur magis communis, ut de communi attestatur *Abb. in cap. maiores. S. item queritur. num. 7. de Baptis. Petr. de Rauen. in comp. iur. can. in tit. de Baptis.* tamen pro hac nostra militant plures rationes, quas colligit *Cas. de Gras. decis. 20. alias. 2. de his quae vi metusue.* haecque seruat de communi stylo & consuetudine Cancellariae, de quo stylo testatur *Hieron. Paul. in pract. Cancell. Couarr. in Epit. 2. p. cap. 6. §. 3. sub num. 1. Rot. decis. 560. & 561. p. 1. diuers.* hocque iudicatum fuisse in Rot. eadem refert *Cas. de Grass. lo. cit. & idem tenendum de infante, vel dormiente, vel amante, recipiunt enim characterem si ordinentur. ut S. Th. in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 1. Card. in Clem. 1. de etat. & qual. reclamare tamen possent quo ad continentiam. Innoc. in cap. vel non est compos. de etat. & qual. Host. ib. S. Th. lo. cit. q. 3. Abb. in cap. vn. de Cler. per saltem prom. num. 3.**

Vltcrius si fuerit conditionalis terrore vel metu adhibito, qui non caderet in constantem, licet & hoc modo nemo deberet ordinari, si tamen ordinetur, &

G

chara-

character imprimetur, & ordinatus tenebitur voto castitatis. *cap. cum dilectus. de his que. vi. met. cit.* Quod si coactio fuerit absoluta & reclamatio absoluta, ita ut ponatur ob ex contrariæ voluntatis, nec character imprimitur nec ordinatus recipit ligamē ordinis. *c. de Iudais. 45. dist. cit. c. ubi iste. 74. dist. c. maiores. de baptisf.*

Ex causa tamen posset quis cogi ad suscipiendum Ordines, ut si obtineat beneficium requirens certum aliquem ordinem, talis enim cogi potest saltē subtractione fructuum, priuatione beneficij, vel similibus ad susceptionem ordinum beneficio suo annexo. *c. licet. Canō. §. quod si. de elect. in 6. Clem. ut hi qui de atar. & qual. Abl. in c. quaris. nu. 6. eod. tit.*

ARTICVLVS VII.

De illiteratis & non habentibus certum titulum non ordinandis.

- 1 **L**iteratura qua requiratur in promouendis ad ordines.
- 2 *Scientia non presumitur nisi probetur.*
- 3 *Ministrans in ordine quem non habet efficitur inhabilis ad ordines.*
- 4 *Ordinari nemo debet sine prouisione sufficienti.*
- 5 *Ordinatus sine prouisione quas penas incurrat.*
- 6 *Episcopus tenetur de facto excommunicatorum suorum.*
- 7 *Episcopus quando non teneatur ad prouidendum ordinato sine prouisione.*
- 8 *Ordinans & ordinatus cum pacto de non petenda prouisione quas penas incurrant.*
- 9 *Regulares non professi non possunt ordinari sine prouisione.*
- 10 *Soc. Iesu patres censentur professi, licet tantum vota tria simpliciter emisissent.*
- 11 *Ordinari an quis possit ad titulum Vicariatus seu beneficij manualis.*
- 12 *Beneficium ad quod quis ordinatur renunciari non potest.*
- 13 *Ordinari quomodo quis possit ad prouisionem patrimonij.*
- 14 *Ordines minores conferri possunt non habentibus prouisionem.*

1. **I**lliterati prohibentur ordinari. *c. illiteratos. 36. dist. c. fin. de atar. & qual. & censetur irregularis illiteratus. Suarez. de cens. disp. 51. sect. 1. num. 8.* Diuersa autem literatura secundum ordinum diuersitatem requiritur. Et ad primam quidem tonsuram ordinandus, sufficit si sciat fidei rudimenta, legere, scribere. *Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. de ref.* Ad alios minores ordines promouendi, latinam linguam intelligere debent. *ib. c. 5. & 11.*
- Ad sacros maiores ordinandi, scire debet ea que exercendo eorum ordini sunt necessaria. *Conc. lo. cit. cap. 13.* Ad presbyteratum talis scientia requiritur, ut ordinatus Sacramenta administrare, & populum in his que ad salutem scitu necessaria sunt instruere valeat. *id. Conc. lo. cit. cap. 14.* maximè verò si ordinatur ad bene-